





IN NUPTIAS

VIRI

*Virtute, Eruditione doctrine**Ornatissimi ac prestantissimi,*  
DOMINIM. IOHANNIS  
COPPENII, LL. CANDI-  
DATI, SPONSI;

ET

Lectissimæ atq; honestissimæ

VIRGINIS

CATHARINÆ,

VIRI

Amplissimi &amp; prudentissimi

Dn. CLEMENTIS STRESONIS,

*Inclytæ Reip. Serbestanæ PRÆTORIS, FILIÆ,*

SPONSÆ,

CARMINA

*Nuncupata ab*

AMICIS ET AFFINITATE JUNCTIS.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi, Anno 1612.





Ad virtute & doctrina Orna-  
tissimum Virum

DOMINUM

M. JOHANNEM CÖPPENIUM,  
LL. Studiosum, Sponsum, &c.

**U**T, Coppene, meas sonuisti buccina laudes,  
Myrteti meditans culta Lycea Schole:  
Sic mihi nunc veniunt equidem pleno ore sonanda  
Ingenii dotes, dona animiq; tui:

Impedit officii sed moles magna laborum,  
Unde vigor venae exaruit ille meae.

Isthaec ergo alius nunc commemoranda relinquo,  
Qui fluido irriguum nectare pectus habent.

Qui dicent tibi, quid cum Nebelio, atq; Pareo,  
Grutero, Stenio, Baccovii tribuant.

Sat mihi erit, si vota feram, si Numen adorem,  
Fundat ut in thalamos munera larga tuos.

Utile te nobis DEUS organon, ornamentum,  
Faxit, quod Patria commoda magna ferat,

Exemplo soceri Clementis, dico, Stresonis,  
Qui Patriam auxilio, consilioq; juvat.

Frugiferis certet tua conjux vitibus: esto  
Non sine prole torus: Sit sine lite domus,

Ut tenera spectans convivia dulcia prolis,  
Gaudia cum carâ compare letus agas.

Vos Deus incolumes serum conservet in ævum,  
Prebeat & vitæ mollia fata, precor.

Quin etiam terris raptos super æthere jungat,  
Æterna faciat latitinq; frui.

Eventura precor: Deus annuit, autor amoris  
Qui casti, castas suevit amare preces,

M. Johannes Theopoldus.

A 2

ALIUD.



ALIUD.

**D**Urius in terris nihil est, quod coelibes vivat,  
 Et, nisi desipias, quod minus esse velis.  
 Dulcius in terris nihil est, quod compare vivat,  
 Et nisi, desipias, quod magis esse velis.  
 Naturam humanam servari prole beata,  
 P L A T O refert, alios substituiq; D E O.  
 Qui sint cultores æterni numinis, hæc vox  
 Quam bene cum sacris congruit eloquijs?  
 Instituisse D E U M thalamos, & adesse piorum  
 Conjugijs, passim pagina sacra docet.  
 Fato ergo, haud casu, quamvis casu esse putatur,  
 Junguntur licito fæmina virq; toro.  
 Fato ergo, haud casu, S T R E S O N I S filia honesti,  
 Nunc *Catharina* tibi, docte Copene, datur.  
 Sponsa pudicitia pietatis & inclyta laude,  
 Sponsus & Aonij gloria magna chori.  
 Ambo pares estis, vos ambos junxit I O V A,  
 Vos ambos pariter proteget ille pares.  
 Igneq; divino vestrum confirmet amorem,  
 Atq; salutari vos quoq; prole beet.

*Johannes Sagittarius D.*



ΕΤΧΗ ΚΟΙΝΟΠΟΥΣ

νεογύμοις.

M. JO-

M. JOANNI COPPENIO ET CA-  
THARINÆ STRESONIÆ

**C**ur, Hymenæe, faces absunt? cur munera cessant?  
Cur non applausum turba novena venit?  
Phœbus enim tempus cœlo deduxit ab alto,  
Quo venit in thalamos casta virago viri.  
Scilicet in casto nunc conjunguntur amantes,  
Conjuxit Numen quos in amore, toro.  
Gaudia Nautigena nova nunc celebrate sorores,  
Quæ colitis Sorabûm pingvia rura soli.  
Ferte citæ gressus tenero date carmina filo,  
Et cytharâ gratum liberiore melos.  
Quale vel emeritis modulatur Apollo ministris,  
Vel doctus Sponsus, vel pia nupta legit.  
Approperate igitur vestro date fausta ministro  
Omina, qui Themidos fovit amore domos.  
Ex qua consurgent illi modò nomina clara,  
Queis bona post mortem fama superstes erit.  
Magno enim Apollinæis studio sudavit in hortis,  
Unde Magisterij est cinctus honore caput.  
Hæc ita blanda Venus, mater castissima, cernens  
Deq; eadem officio noluit esse suo.  
Huius in amplexus ergo descendere fecit  
Nympham, præclarum corpore & ore decus,



Connubio stabili junxit, propriamq; dicavit,  
Qua-cum Nestorios viveret ille dies.  
Exactis & quae volvendis mensibus alnum  
Hunc faceret pulchrâ prole subinde patrem.  
Quis non pro meritis his, & pro talibus ausis,  
JANE, canet vitulans carmina gratatibi?  
Quis non optabit nitidi tibi sidera caeli,  
Cum flutent ceptis vela secunda tuis?  
Nam tibi pergratis zephyris tutissima currunt  
Ad portum, paucis quem subiisse licet.  
Est multum caeli coepisse favente potente  
Illud, quod quis perpetuum esse cupit.  
Numine pro pitio succedunt omnia faustè,  
Ira to altijugo nil nisi triste cadit.  
Omnia prospectè quoniam, per doctè Johannes,  
Coeperis, eveniunt omnia ritè tibi.  
Musis addictus per strenuus usq; fuisti,  
Miles, & hinc tua te lausq; decusq; manent.  
At nunc cum vitæ ratio, tum postulet ætas,  
Et jubeat, Jhovâ præcipiente, Venus.  
Concipis accensas ardentipectore flammæ,  
Eligis & socij vincula sancta tori.  
Eligis eximio Catharinam corpore Nympham,  
Stresoniam, claro judice Patre satam.

Cujus



Cujus & ingenii mores, vultusq; decorus  
Vix possunt numeris, ut meruere, cani.  
Cujus purpurei decus oris, & æmula certant  
Cum cœli nitidis lumina sideribus.  
Hæc tibi per totam vitam ceu dulce levamen,  
Solamenq; tuæ tristitiæ esse potest.  
Quare fidus Amor constringat pectora vestra  
Gordiacis nodis, lusibus atq; suis.  
Concertare pares alterno in amore per annos,  
Vos faciat, cæli quos dat ab axe DEUS.  
Dextram jungendo dextræ precor hisce diebus  
Auspicium fausti sumite conjugij:  
Non secus ut sese vitis nova subjicit ulmo,  
Et quo se teneat, quodq; sequatur habet.  
Sic tua dilectum te suescat amare maritum  
Vxor, & exactè jussa benigna sequi.  
Par tuq; officium reddas pro munere tanto,  
Diligat illa suum, diligat ille suam.  
Sit procul à vobis super & Garamantas & Indos,  
Semina noxiparæ litis abacta fugent.

Ἰωάννης καὶ Καθάρη

IOANNES  
EN IO NAS

CATHARINA  
IN HAC RATA

Nauta

**N** Auta velut, zephyri si pugnans, horret & angor,  
 Pectora sollicitat, si ratis abripitur;  
 Sic, ô JANE, tuum Coppens pectus anhelum  
 Perdubios fructus undiq<sub>3</sub> sustinuit.  
 An ceu Naclerus fractâ râte salvus ab ipso  
 Naufragio, antennâ prensâ, abiisse potest:  
 EN sic ipse & IO NAS tutus IN HAC Catharinâ,  
 Tempore quæ RATA fit quo tibi cunq<sub>3</sub> salus.

ἌΛΛΩΣ.

JOHANNES COEPPENIUS CATHARINA STRESONIA  
 Sonant  
 HAC I, JOVA POSCENTE, INTRA, SANA, EN ROS IN SPE.  
 Allusio.

**Q**uid dilecta fugis mea? quid, pulcherrima Sponsa,  
 Cessas? sis nostri, surge, maritatori.  
 Hac I, casta Venus, JOVA POSCENTE, resarcit,  
 Nunc lateris vulnus, quod fuit ante mihi.  
 Et tibi restituit demtum caput ordine primo,  
 Quo Deus effecit corpora nostra chaos.  
 Lectulus en meus est, INTRA peramica, decorus,  
 Hunc SANA, & sanâ cum pietate cole.  
 Inde, novos veluti progerminat Vva racemos,  
 Leta probo nobis pignore mensula aget.  
 Auguror, EN licitum: ceu ROS argenteus ornat  
 Gramina; sic IN SPE prole beabis opes.

Annū, mensem & Diem Nuptiarum continens.

Vt ter septenā septem̄ber CLaret ab æthrâ,  
ECCetoro IanVs & Catharina CaLent.

M. Bartholomæus Schröterus

Philo-Math. in illustri Gymnasio Ser-  
vestano S. Linguae Pro-  
fessor.



ΔΥΣΙΣ ΤΠΟΦΟΡΩΝ

*Connubio, Ordini sacratissimo,  
primordiali repugnantium.*

**P**ropulsate malos sermones dira loquentum,  
Cara DEO sancto pectora, grata DEO.

1. Obj. *Res dira est MULIER, nec enim est homo: Bestia*

*O vox Tænariis faucibus evomita. (seva est,  
a Secund. Phil. Mulier est hominis confusio: insatiabilis bestia:  
continua sollicitudo: indeficiens pugna: cotidianum damnum:  
domus tempestatis: impedimentum viri: continens naufragi-  
um: peirculosum praelium: animal: pessimum: aspis insanabi-  
lis: humanaum mancipium in pugna. ref Th. Aquin. & Stob.*

2. *Ille dies læta est, thalamo quâ conditur uxor:*

*Nubendo non prosperatantum, sed omnis fortuna initur societas.  
Justin. Trogus.*

*Cum malâ famâ facilè nubitur, dum dos sit. Plautus Persa.*

*Multum itidem læta est, quâ capitur tumulo.*

3. *Nunc Sus, nunc Vulpes, aut si quid seivius istis*

*Esse potest: & nunc dicitur esse Canis.*

*Credo equidem porcæ hunc traxisse aut ubera vulpis,*

*Claraq; stultitiæ promere signa suæ.*

B

Libero

*Libero lecto nil jocundius. Cicero.*

*De quo nupta jacet. — Minimum dormitur in illo (lecto.)*  
*Juvenalis.*


4. Et fortunatam qui vitam dixerat esse  
Orbatam natis, conjugiiq; bono,  
Pœniteat, pudeatq; illos, qui talia jactant,  
Linque malos mores, conjugiumq; cole.  
Scilicet hoc monstrum est duris ex cautibus ortum,  
Damnat seminii exordia nemo sui.

*Commēdatio  
συζυγίας.*

Res sacra conjugium: quæris, quo autore profectum?  
Magno judicio condidit ipse DEUS.  
Obene pol factum: Vita est sine conjuge amara,  
Dos vitæ magna est fœmina, si qua bona est.  
Lætitiæ causa est variæ, medicina furoris,  
Attactu recreat pectus amore calens.  
Plura hîc non addam, quin verbo cetera dicam,  
Lux, Frons, Cor, Venter, fœmina, Vita viri est.  
Hujus & est fidum Caput & tutela maritus,  
Et Pes atq; Manus, Fœmur & Oris honor.

*M. Henricus Kitschius Lips.*

*χαίρων τοῖς χαίρασι F.*



*A L I U D.*

**S**ic equidem ducebam animo rebarq; futurum:  
Coppenio iungi Catharam, quia sæpe videbam  
Tecta tuæ Sponse lætum te, Sponse, subire:  
Sic amor urebat, sic mens ardebat amore.  
Exitus acta probat; roseo nunc vectus ab ortu  
Faustra dies, lecto lecta de stirpe puellam  
Quo sociare studes. Cedunt tibi prospera cuncta:  
Nam primum in nostro es studiis imbarus honestis  
Gymnasio illustri, migrasti postea ab oris

*His*

His Heidelbergam, simili ratione celebris  
Phœbus ubi colitur, dulces ubi largius hausti  
Undas, quas clarus propinat [Apollo bibendas,  
Tandem es philosophâ promotus in arte Magister:  
Scilicet hæc merces Virtutum est propria, *Sponse*.  
Jamq; tibi ad dulcem patriam cum laude reverso  
Magnâ connubio stabili datur optima virgo:  
Cujus in adspectu Veneres, in pectore Pallas:  
Quæ sicut pulchrum *Catharina* est nomen adepta  
Hagnen se Catharamq; & mente & corpore præstat.  
Huic pater est patrij non pars postrema Senatus,  
Nempe gravis Judex, vir servantissimus æqui,  
Gratulor ergo tibi de tali, *Sponse*, Puella:  
Bartolus & Baldus triplici cum jure valebunt,  
Lætior ante tuos quoties hæc sederit oculos,  
Hæcce tibi legem justam describet & æquam,  
In quâ non vitium, nullus reperitur & error:  
Tu, vir clare, mihi quem usus produxit amicum,  
Et sincerus amor, tu pronâ fronte sequeris,  
Atq; meis dices scholiis lex indiget illa.  
Sed, mea Musa, joci satis est. Deus adsit, amantum  
Pectora qui jungit, Sponsis pia facta secundet,  
Det placidam vitam, dulcem det semper amorem,  
Det vigilem sanctum thalamo, det, vivat uterq;  
Absq; toro viduo seros feliciter annos:  
Sic Catharina virum faciet sic prole parentem.

Hæc ego, non culto, tenui sed carmine tædis  
JANE tuis peracre, tuis, lectissima *Sponsa*,  
Vota fero: faveant eventu fata secundo:

*Veteris amicitie & faustæ  
gratulationis ergo  
accinebam*  
Fridericus Hamelius  
LL. Stud.

B 2

Nu-



Nuptiis Viri  
Præstantissimi doctissimi,  
DOMINI  
M. JOHANNIS COPPENI,  
SS. LL. Candidati,  
SPONSI  
&  
Virginis  
Lectissimæ, pudicissimæ,  
CATHARINÆ  
Viri ampliss: & consultissimi  
DOMINI  
CLEMENTIS STRESONIS,  
*Reipublicæ Serbestianæ*  
PRÆTORIS FILIÆ.

---

*Lusus Poëticus de fabulâ Aristophanis in  
Convivio Platonis.*

Plat. p. 322. e-  
dit. Lugdun.

**V**ix primo mundus cum descendisset ab ortu,  
De meliore luto fertur mortale *Prometheus*  
Effinxisse genus, simul ac *geminata* capaci  
*Dona* dedisse animo, *duplici* quoq; *munere* corpus  
Exornâsse, alia ut superare animalia posset.

Viribus egregiis menti concessit acumen,  
Cujus ope scandat cœlos, terrestria linquens;  
Jussit & abstrusæ sensum ad secreta moveri  
Naturæ, inq; novam proferre latentia lucem;  
Insuper & *memorem partem* dedit esse tenacem,  
Quò semel-inventum per secula multa teneret,

Serosq;



Serosq; instrueret curâ studioq; nepotes:  
Præterea species hominisq; ac *forma rotunda*  
Circumquaq; *latus lateri* conjunxerat, addens  
Hinc utrisq; *caput conversis vultibus* unum,  
Apposuit *quadratâ oculos in fronte quaternos*,  
*Aures & totidem* vaga circum tempora fixit,  
Quêis animus cupidus parteis se verset in omneis;  
Ac indagando spaciosum excurrat in orbem,  
Colligat inde sibi divinæ particulam auræ,  
Sanam perficiat donec sapientia mentem:  
Exin *COR* geminans, summum auxit corde calorem,  
Addidit & stimulos iræ, quêis fortis in arma  
Iret; firmavit, quo vinceret omnia, robur:  
*Quatuor* extendit *palmas*, *tot crurag;* junxit,  
Scilicet ut donis homo cuncta ex asse beatus  
Viveret, atq; suâ lucem de mente profundé  
Funderet immensam, superis æqualia tractans.

At Rex dum superum largâ luce obvius egit,  
Et collustravit mortalem lumine recti;  
En collata sibi miratus homuncio dona,  
Fertur in autorem fastu flatuq; superbo,  
Insidiosus agit, tandem sibi sceptrâ tonantis  
Attribuens, quoniam, alterius se subdere jussis  
Indignum esse ratus, laxas optabat habenas:  
Hinc (scelus infandum!) superis inferre duellum;  
Audebant, Martem vinculis Otus ac Ephialtes,  
Fortis uterq; Aloëidæ, gyarisq; ligarunt,  
Nempe biceps donec Janus referaverat annum.  
Tredecimq; jerant sacrata jugalia mensis;  
Mercurio Cêribœa scelus cum dixerat illud,  
Illeq; vel furtim Martem subduxerat ægrum:  
Non secus Amphytruoniadæ tricuspide telo  
Junonis lædebantur (res mira) papillæ.

Ergo qua ratione istas compescere turbas,  
Quo regere imperio, frenare & carcere vulgus  
Humanum possit, turbatus tempore, nescit,

B 3

Ambigit,

Hom. II. 5. p.  
181.



Ambigit, iratus genus hoc ne perderet, omnes  
Imperij socios alta intra limina cogit,  
Conciliumq; vocat Divum pater atq; hominum Rex:  
Convenerunt *Dij*, fluxere ad regia plenis  
Tecta viis, tandem superis sic farier infit  
Juppiter: ecce modum: vires roburq; receptum.  
Si tollam; elatam poterunt vix tollere mentem;  
Idcirco in ventos properabo effundere fastus,  
Neve nimis crescat mens alta, incidere robur.

Dixerat & dicto citius factum expedit: inde  
Alta ut Homo sperat se verticè tangere Olympum,  
*Improvise adest ultrici Juppiter ense,*  
*Ac aciem torquens celeri transverberat ictu;*  
Sic transire DUAS in partes incipit UNUS.

Continuò excussa dotes, (heu!) luce sepultâ  
Succedunt tenebræ, & cingunt caligine mentem:  
Ut cor reclusum; calor evolat, algida membra,  
Ne solito peragant sua munia munere, torpent;  
Scintillæ exiguæ tantâ de luce relictæ  
Manferunt animo: sed & hæ quàm nempe pusillæ!  
Quàm tenebris squalent! quàm labe ac sorde sepultæ!

Attamen & scissæ partes noctesq; diesq;  
Pœonias adhibere manus, cœant ut in unum,  
Tentavere, artes tentavere atq; labores:  
Vanus at in ventos abiit labor, omnis & arte  
Non Machaonia valuit coalescere vulnus.

Jamq; *viam inveniunt mediam, sanetur ut ictus,*  
Labitur en cœlo (cujus vi spirat in unum,  
Et terra & cœlum) *nova flammula*, mutua bellè  
Jungere corda potens, vastoq; vagatur in orbe;  
*Ignæus illa AMOR est*, stimulos qui pectoris auget,  
Accendendo, in se totum ut mutare cupitum,  
Optet totus amans, quò plenè fiat amatum:  
Hinc ubi *Mauseolus* vitam diffundit in auras,  
Conjugis efflagrans cœco *Artemisia* amore,  
Immixtos Bacho cineres absorbuit, ipsa

Quæ



Quis (stomacho coctis) vel transeat omnis in ipsum,

Ac haustu sanet dirum sub pectore vulnus:

Hos animi rapiunt æstus, validos & amores,  
Arripiunt, celeriq; manu sub pectore condunt:

Dum verò calidis exarsit flamma medullis,

Connubii quivis sociam lateri addere tentat,

Cui junctus placidè venturum transigat ævum,

Robur & amissum veloci fulminis ense

Colligat, & totus vires instauret inertes.

Nec mora: componunt animos, mens una, voluntas

*Una, duo tacitè gemiso unum corde volutant;*

Non uni mutata loco sententia cedit,

Ni sciat optatum socio nova gaudia ferre:

*Sic animam corpus geminatum continet unam.*

Nec modò vis animæ unitur: sed corpora juncta

*BINUMUM* integrant corpus: sed & optima proles

Partibus amborum prodit sub luminis auras

Ergo, *SPONSE*, duas letali vulnere scissus

In partes animus, coeat quo rursus *in unum*,

*Dimidio semper ne vivas corpore: SPONSA*

Optatum juugenda venit tibi; *Blandula SPONSA,*

Qua - cum si concors Cumæos vixeris annos,

Mente eadem repetens, eadem quoq; corde volutans,

*SPONSÆ* te placitis nunquam in contraria scindens,

*Predita pars animæ cum corpore tota redibit,*

*Corporis ac vulnus rursus coalescet in unum.*

Quin *DEUS* hæc lætis hymenæis pronubus addet;

*Crescite, & in latum sese diffundere semen*

*Incipiat vestrum: Votum exitus ipse sequetur*

Lætior, ac omni melior spe: *SPONSULA SPONSUM*

*Perpulchra MATER te PATREM prole beabit.*

**UNDIQUE SIC PERFECTUS ERIS, SEMPERQUE BE-  
ATUS.**

Honoris ergò

Abrahamus Theopoldus.

ALIUD.

A L T U D.  
**D** i scilicet laboribus vendunt bona,  
Dicebat ille, at Ethnicus: Longe interim  
Nos Christiani rectius; confert sua  
Laboribus piis DEUS clemens bona.

Tu, Sponse, legum cultor illud comprobas.  
Labore Musas improbe doctas puer  
Sectatus es, sermone didicisti loqui  
Latio atq; Grajo, quin tibi & Phœbus manu  
Porrexit illo tempore ipse pocula,  
Ut culta doctum vena carmen funderet.  
Post & dies noctesq; Aristotelis Opus  
Pervoluis, in mysteria Sophorum abdita  
Ingressus. Aptè hinc de quibusvis impigrum  
Differere rebus te videmus publicè:  
Nec cedis ulli, sed tueri promptus es  
Veram, tuendam quam tenes sententiam.  
Quare tibi Heidelbergæ nuper debitos  
Addidit honores, splendidis ornans caput  
Insignibus, nomenq; conferens novum.  
En pro laboribus bonum divinitus  
Concessum, & (ô,) quod contigit paucissimis!  
Sed addit his majora jam DEUS bona  
Dum virginem jungit tibi lectissimam,  
Natalibus certè inclytis lectissimam,  
Pietate, forma, moribus lectissimam,  
Ætate, divitiis simul lectissimam,  
Animi bonis & corporis lectissimam.  
En summa, Sponse, in te tui divinitus  
Collata pro laboribus tantis bona!  
Gaudeto tantis ergo, Coppeni, bonis,  
Fruare tantis ergo, Coppeni, bonis.  
Vestro DEUS faveat amori, compleat  
Is vota vestra largiter: lis aut dolor  
Haud tanta vestra turbet unquam gaudia.

Georgius Hafferingius, Sponsæ frater.

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



56

PTIAS  
RI  
*tione doctrinae  
praeantissimi,  
NI*  
ANNIS  
LL. CANDI-  
PONSII;  
*; honestissimae  
GINIS  
ARINÆ,  
RI  
prudentissimi  
S STRESONIS,  
RÆTORIS, FILIÆ,  
NSÆ,  
MINA  
pata ab  
NITATE JUNCTIS.  
ESTÆ  
örfferi, Anno 1612.*

